


# PALAESTRA LATINA



## SUMMARIUM

Bibliographia, *Molina-González*  
De licentis poetis apud Horatium, *Jiménez*  
Nova et Vetera, *González*  
Per Orbem, *Censorinus*  
Cursus gymnasticus, *Aspa*  
Apis, *Mangeot*  
Iterum de pediludio, *Holzer*  
Commercium epistulare, *Holzer-Mir*  
Albius Longus sibi fingit somnia, *Sarmiento*  
Ad Ciceronis librum «de oratore», *Orth*  
Bibliographia, *Ramos, Sidera*

## Bibliographia

M. LAVARENNE. — *Douze Chansons Latines; Paroles, musique, traduction, commentaire* Éditions Magnard, 122, Boulevard St. Germain, Paris VI e.

Ut grata inter cenandum symphonia dapes multo probatiores reddit conviviorumque aures animosque permulcet, ita duodecim ille cantus Latini a clmo. Dno M. Lavarenne collecti non parva alumnos inter discendum Romanorum sermonem suavitate quadam atque amoenitate procul dubio afficient; namque hujusmodi cantus, modo sint rariores, ne frustra tempus in aula consumatur, disciplinam severitatemque scholarum jucunde immo vero utiliter relaxant.

Dolendum sane una cum Dno M. Lavarenne cantilenas, quae olim omnium ore temporibus classicis toties repetitae fuerunt, ad nostram aetatem non pervenisse. Ut earum inopia ac lacuna expleatur, hujus collectionis auctor nonnulla cantica e medio aevo excerpta, quibus temporibus sermo Latinus in vulgo vigeat neque faceti homines deerant qui et vitae et vini et amoris canerent voluptates

Cantilenarum modi, quamquam superiore tantum voce concludi possunt, tribus vocibus constant, facillimique captu atque interpretatu nemini non videbuntur omnibusque in deliciis erunt

Intererit autem magistrorum ut nonnulla e carminibus praesertim vero bacchicis, quod ad modum dicendi attinet, nonnihil immutentur ne a pueris, quibus semper debetur maxima, reverentia desideretur. M. MOLINA, C. M. F.

EGNATIUS CAZZANIGA, INCERTI AUCTORIS  
- *De Lapsu Susannae*, (de Lapsu Virginis consecratae). Corpus Scriptorum Latinorum Paravianum. In aedibus Jo. Bapt. Paraviae et sociorum.

Accurata editio haec brevis quidem tractatus, cujus auctoris adhuc sub iudice lis est. Fuit olim claro scriptori in animo hunc libellum in pristinum nitorem, quoad licuisset, restituere; atque de ejus auctore ejusque scribendi genere quaestionem absolvere. Diversa vero rerum adjuncta effecere, ut propositum ad hoc tempus differretur. Atque in longa ac ponderosa praefatione scriptor omnes fere exagitat codices, qui de hoc tractatu agunt.

De libelli auctore, gravis quaestio est, ut constat inter viros doctos. Primus opusculum Ambrosio Mediolanensi episcopo Erasmus adjudicavit; primus Nicetae id attribuit Cotelarius; contra utrumque Zabao Nicetae Dacorum episcopo, quam Aquilejensi probabilis tribuendum censuit.

Re vero in utramque partem perpensa, claro viro Cazzaniga peropportuno visum est quaestionem integram ad peritiores judices remittere, et libellum ut incerti auctoris edere. Hoc enim illi persuasum est: codices per se ipsos quaestionem enucleare non posse, quae tota ex accuratissimo de genere dicendi studio, sive Ambrosiani sive Nicetiani sive cujusdam alius auctoris, pendet.

En tibi totius libelli conspectus: Praefatio, pp. IX LXVII; textus, pp. 1-31; index nominum, p. 33; index grammaticus et syntacticus, pp. 34-38; de prosa rhythmica, pp. 39-41; thesaurus verborum, pp. 42-47; index verborum et locutionum notabilium, pp. 48-81.

ILDEPONSUS GONZÁLEZ C. M. F.

# PALAESTRA LATINA

---

PRETIUM SUBNOTATIONIS ANNUAE: 20 pesetarum in Hispania et America. 25 pesetarum in reliquis civitatibus.  
Pretium mittatur oportet ad Administratorem: Lauria, 5, Apartado 7042, Barcelona.  
Scripta ad Moderatorem: Conde, 2, Barbastro (Huesca)

---

## De licentiis poëticis apud Horatium

Magistri, qui metricam Latinam docent, exempla desiderant manifesta, copiosa, distincta, ordinata, quibus singulae artis metricae apprime confirmentur regulae, quae non nisi perfunctorie solent a grammaticis tradi.

Quod, si in omnibus verum est, verissimum sane in hoc quod ad licentias poëticas sese refert. His ergo consulere volui veras figurarum seu licentiarum notiones proponendo, easque variis exemplis, Horatianis praesertim *cultis carminibus* (1), declarando.

Auctoratos scriptores diligenter perlegi, ex quibus doctrinam et exempla patientissime hausi (2); rem tamen novo ordine proponere placuit.

Licentiae seu figurae poëticae concinnitate oriuntur, vetustate, necessitate metrica vel, quod saepe accidit, licentia seu levitate.

Haec facultas ubique terrarum poëtis concessa, ab Horatio sancita est:

*«pictoribus atque poëtis*

*quidlibet audendi semper fuit aequa potestas»* (3).

Qua tamen facultate Venusinus, lyricorum omnium poëtarum princeps, teste Quintiliano (4), caute ac moderate usus est. Nihilominus singularum fere figurarum exempla praebet propria.

Figurae multiplices sunt specie. Auctores earum tradunt seriem numeratam, minime vero ordinatam. Unde mihi, ceteris rejectis partitionibus, novam proponere placuit, hac ratione conceptam.

Figuras poëticas in duo genera dividimus:

I. *Figurae quae verba integra retinent*, immutant tantum quantitatem; has *quantitativas* vocabimus.

Jam vero *quantitativae* figurae sunt:

1) systole; 2) diastole; 3) synaeresis; 4) diaeresis.

II. *Figurae quae verba aliquatenus immutant*, easque *«immutantes»* dicemus.

*Immutantes* figurae duplici ordinantur ratione:

A) *Quae verba immutant sine respectu ad alia vocabula*: haec generico *metaplasmii* nomine appellantur. Sunt vero *metaplasmii*:

1) prothesis; 2) aphaeresis; 3) syncope; 4) epenthesis; 5) apocope; 6) paragoge.

B) *Quae verba immutant ratione alterius vocabuli sive praecedentis sive subsequenteris; easque relativas vocabimus. Relativae figurae hae sunt:*

1) synaloepha; 2) elisio; 3) aphaeresis; 4) tmesis.

Harum igitur omnium figurarum notiones exemplaue Horatiana proponere incipiamus.

## I. De figuris quantitativis

1) SYSTOLE est syllabae correptio natura vel positione longae. Unde dupliciter fit:

a) *Cum syllaba natura longa corripitur.*

Quod maxime accidit in propriis nominibus, ex eo quod raro occurrant et eorum quantitas non omnibus nota sit, vel quia non facile ea commutare liceat, ideoque modo corripuntur, modo producuntur prout carminum natura exigit. Habes, inter alia, haec Horatiana exempla.

1: *italus* fit *italus*: «Parthi, catenas Parthus et *italūm*. (\*)

robur...» *Carm.* 2, 13, 18.

Confert *Carm.* 31, 30, 13; 4, 4, 42; 4, 15, 13.

«At Graecus postquam est *italō* perfusus aceto». *Serm.* 1, 7, 32.

Invenies quoque *italus* in *Serm.* 2, 6, 56; *Epist.* 1, 18, 57; 2, 1, 2; *Carm.* 2, 7, 4; — *italiae*: *Carm.* 3, 5, 40; 14, 44; *Epist.* 1, 12, 29; — *italiam*: *Serm.* 1, 6, 35; *Carm.* 1, 37, 16.

2. *Apulia* et *Appulus*: «nec tantus unquam siderum insedit vapor  
siticulosae *Apulīāe*». *Epod.* 3, 16.

Idemque in *Serm.* 1, 5, 77.

Sed contra *Appulus* in *Carm.* 3, 5, 9:

«sub rege Medo Marsus et *appulūs*;

et in *Carm.* 3, 16, 26; *Serm.* 2, 1, 34; — *Appula gens*: *Serm.* 2, 1, 38; — *Dauni Appuli*: *Carm.* 4, 14, 26; *Epod.* 2, 42; — in *Appulo*: *Carm.* 3, 4, 9; — *Appulis*: *Carm.* 1, 33, 7.

3. *Vaticanus* et *Vaticanus*: «Redderet laudes tibi *Vaticānō*». *Carm.* 1, 20, 7.  
Apud Martialem vero et Juvenalem invenimus *Vaticanum* (Juv. 6, 343).

4. *Porsenna* et *Porsena*:

Vergilius in *Aen.* 8, 646 *Porsennam* facit; Horatius autem in *Epod.* 16, 4 *Porsenam*.

«Quam neque finitimi valuerunt perdere Marsi  
minacis aut Etrusca *Porsēnāe* manus.

5. *orion* et *orion*: «Nec curat *orion* leones». *Carm.* 2, 15, 39.

(\*) Ad quantitatem notandam prima littera (i = l) horum verborum *minusculis* litteris scribitur.

Similiter *ōrion* in *Carm.* 3, 4, 71; 3, 27, 18; *Epod.* 10, 10; at *ōrion*, *Carm.* 1, 28, 21 et in *Epod.* 15, 7:

«dum pecori lupus, et nautis infestus *ōrion*. (5)

Non est proprie licentia poētica forma «-ērunt», quam Horatius sine religione usurpat, quamvis vulgo longa potius remaneat et plerumque adhibeatur. Ter saltem formam brevem maluit Venusinus:

«Vergilio ādnūērūnt gaudentes rure Camenae». *Serm.* 1, 10, 45.

«Ad hunc frementes vērterūnt bis mille equos». *Epod.* 9, 17.

«Di tibi divitias dēdērūnt artemque fruendi». *Epist.* 1, 4, 7. (6)

b) *Cum syllaba positione longa corripitur.*

Exempla Horatiana hic habes:

«Movit Ajacem Telamone nātūm

Forma captivae dominum Tēcmeśsāe». *Carm.* 2, 4, 6.

«O multis quoque piscibus

Donatura *cycni* si libeat sonum». *Carm.* 4, 3, 20.

Syllaba post mutam ac liquidam est in versibus anceps, unde eam produci licet vel acui. Jam vero praeter litteras «l» ac «r», in verbis Graecis liquidae sunt quoque «m» et «n», ideoque Horatius eadem facultate qua dicit

«et Lycum nigris oculis nigrōsquē

crine decorum (*Carm.* 1, 32, 11)

acuit Tēcmeśsae, *cygni*.

2) DIASTOLE seu ectasis est productio syllabae natura vel positione brevis. Unde, sicut et systole, fit dupliciter:

a) *Syllaba natura brevis producitur*

1. *Cātilus* fit *Cātilus*:

«Circa mite solum Tiburis et moenia *Cātili*». *Carm.* 1, 18, 2.

2. *Prōserpina* fit *Prōserpina*:

«supplex et oro regna *Prōserpinae*». *Epod.* 17, 2.

«nullum / saeva caput *Prōserpina* fugit». *Carm.* 1, 28, 20.

«sed me / imperiosa trahit *Prōserpina*». *Serm.* 2, 5, 110.

«quam paene furvae regna *Prōserpinae*». *Carm.* 2, 13, 21.

3. *Mibī* et *mibī*; *tibī* et *tibī*; *sibī* et *sibī*:

Horatius utitur *mibī* 106<sup>es</sup>., *mibī* 25<sup>es</sup>.; *tibī* 143<sup>es</sup>., *tibī* 29<sup>es</sup>.; *sibī* 45<sup>es</sup>., *sibī* 6<sup>es</sup>..

4. -is *finale* Horatius facile producit in verbis; unde nihil mirum si has formas invenias: *fuērīs* (*Epist.* 1, 6, 40); *placarīs* (*Carm.* 3, 23, 3); *dederīs* (*Carm.* 4, 7, 20); *occiderīs* (*Carm.* 4, 7, 20); *miscuerīs* (*Serm.* 2, 2, 74); *audierīs* (*Carm.* 2, 5, 101).

b) *Syllaba positione brevis producitur.*

1. *Diana* et *Diana*: a) *Diana*:

Notus et integrae

temptator Orion *Dīānāe*. *Carm.* 3, 4, 71.  
 Phoebe silvarumque potens *Dīānā*. *C. S.* 1.  
 Doctus et Phoebi chorus et *Dīānāe* || dicere laudes. *C. S.* 75.  
 Nox et *Dīānā*, quae silentium regis. *Epod.* 5, 51.  
 per et *Dīānāe* non movenda numina. *Epod.* 17, 3.  
 cum lucus et ara *Dīānāe*... *Ars P.* 16.  
 aut fanaticus error et iracunda *Dīānā*. *A. P.* 454.

b) *Sed et Diana invenitur.*

*Dīānām tenerae dicite virgines. Carm.* 1, 21, 1.  
 infernis neque enim tenebris *Dīānā* pudicum || liberat Hippolytum.  
*Carm.* 4, 7, 25.

quindecim *Dīānā* preces virorum || curat. *Carm.* S. 70.

2. *Prīamiden* fit *Prīamiden*:

Hectora *Prīamīdēn* animosumque inter Achillem  
 ira fuit capitalis. *Serm.* 1, 7, 12.

3) **SYNAERESIS** est syllabarum duarum in unam contractio.

Dicitur quoque *synizesis*, *episyndialoepe*. Fit vero dupliciter: a) diphthongos componendo; b) vocales, ut consonas, usurpando.

Exempla passim invenies apud poetas; nonnulla tamen ex Horatianis operibus adducam.

a) *Diphthongi componuntur*

Telephe vel Peleu male si mandata loqueris. *A. P.* 104.

Hoc ille recte; ne corporis optima | Lyncei. *Serm.* 1, 2, 90.

abdiderint furtim terris et imagine | cerea. *Serm.* 1, 8, 43.

Sunt et alia plura exempla, uti *Pompei* (*Carm.* 2, 7, 5), *Voltei* (*Epist.* 1, 7 91), *Ulixei* (*Ep.* 1, 6, 63), *osteae* (*Serm.* 2, 2, 21), *antebac* (*Carm.* 1, 37, 5), *anteit*, (*Carm.* 1, 35, 17), *quoad* (*Serm.* 2, 3, 91), *prout* (*Serm.* 2, 6, 67), *cui* (*Serm.* 1, 7, 30).

b) *Vocales, ut consonae, usurpantur.*

Quod fit cum «u» vel «i» litterae, natura sua semivocales, consonae fiunt.

Exempla hic habes:

a) «i» vocalis fit consona:

Vas lene cōsīljum et datis et dato. *Carm.* 3, 4, 41.

*Vindēmjātōr* et inviētus, cui saepe viator. *Serm.* 1, 7, 30.

Simili ratione invenimus apud Horatium *principjum* (*Carm.* 3, 6, 6), *vjetis* (*Epod.* 12, 7), *Nasidjeni* (*Serm.* 2, 8, 1), cetera.

b) «u» vocalis fit consona:

stomachoque tumultum

lenta feret *pītvīā* (pro *pituita*). *Serm.* 2, 2, 76.

Quibusdam placuit «*pituitam*» scribere, quasi ex «*petere vetiam*»; sed Quintilianus noster ridet hanc sententiam. (7)

- 4) DIAERESIS est syllabae unius in duas disjunctio, fitque dupliciter:  
 a) *diphthongos dividendo*;  
 b) *litteras «v» et «j», natura sua consonas, in vocales «u» et «i» comparate convertendo*.

Haec figura in versibus Horatianis, utpote accurate confectis, rarior est quam in aliorum poetarum versibus. Exempla tamen aliqua adferam:

- a) *diphthongos dividit*:

Cum mihi non tantum furesque ferae sũctãe. *Serm.* 1, 8, 17.

- b) *«v» et «j» consonas in vocales convertit*:

Nunc mare nunc silũae. *Epod.* 13, 2.

Adulteretur et columba milũo. *Epod.* 16, 33. (8)

Motus doceri gaudet iõnicõs. *Carm.* 3, 6, 21.

Non attagen iõnicũs jucundior. *Epod.* 2, 54. (sequar)

*Salmanticae.*

JOSEPHUS JIMÉNEZ, C. M. F.

#### NOTULAE

- (1) *Ov. 4 Trist.* 10.  
 (2) RICCIOLI, *Prosodia Bononiensis*, Patavii, 1746; VALTZ, *Oeuvres d'Horace: Introduction*, Garnier Frères, 1887; LLOBERA, *Grammatica Classicae Latinitatis*, Barcinone, 1920; JURET, *Principes de métrique latine*, Paris, 1929; ZAMBALDI, *Metrica Latina*, Torino, 1932, PLESSIS-LEJAY-GALLIETER, *Q. Horace Oeuvres*, Hachette Paris, 1924; VOLLMER, *Horat. Carmina*, Ed. major Teubn. Lipsiae, 1912; HAVETI *Métrique Grecque et Latine*, Paris, 1935; NOUGARET, *Métrique Latine classique*, Paris, 1948; CRUSIUS, *Iniciación en la métrica Latina*, Barcelona, 1951.  
 (3) *Ars. Poët.* 9-10.  
 (4) *Inst. Orat.* 10, 1.  
 (5) PLESSIS LEJAY-GALLIETER, adferunt quoque vocem «Sithõni», quae in *Carm.* I 18, 9, corripitur, cum graece natura protrahatur: Σιθών, ὄνος ὄνος.  
 (6) Cfr. Jové, *De forma «-erunt» praeteriti perfecti*, PALAESTRA LATINA, num. 24.  
 (7) Cfr. RICCIOLI, *Prosodia Bononiensis*, p. 154.  
 (8) De genuina scriptura «milui» seu «milvi» differunt inter se auctores; sed probatores legunt «miluo», hancque affirmant esse veterem, probam, frequentioremque scripturam. (Cfr. FORCELLIN s. v. *milvius*).

## NUPER PRODIERUNT FABELLAE

CUCULLINEA RUBEA

(*Caperucita Roja*)

POLLICARICUS

(*Pulgarcito*)

quas A. Sinués Pbtter. in Latinum sermonem convertit, scitis picturis aptisque vocabularis ornavit.


Hae fabellae diebus, quibus animum relaxari oportet, peropportunaerunt ac miram alacritatem afferent pueris.

Vos, pueri, qui fabulas amatis, has cum legetis et orationem Latinam facile percipietis et singulari gaudio gaudebitis

*Pasaje Concepción, 4; Sta. Tecla, 9, 2.º - Barcelona*

# Nova et Vetera

## Machina photographica



1. Oblectamenta oculorum sunt rerum spectabilium vel visibilium repraesentationes, aut etiam transformationes. Atque id fit vel in plano, ut *pietura*; vel in materia solida ac molliore, ut *plastica*; vel in materia duriore, ut *sculptura*.

Hodie, arte lucis technice adhibitae, facillime omnes rerum repraesentationes per machinam photographicam efficiuntur, cujus certe artis nulla omnino apud veteres Romanos notitia: nihil illis de nostra machina photographica notum. Omnia haec in re nova: cum voces tum ideae vel conceptus.

Photographia hodierna est scientia et ars obtinendi, ope lucis, imagines perennes super papyrum, bracteas vel pelliculas tegumentis substantiarum sensibilium ipsi luci antea coopertas. Chemicus Germanus Scheele, saeculo XVIII, repperit actionem lucis super chlorurum argenti, atque una partem spectri violaceam potiore in re habere influxum demonstravit.

Anno vero 1802 vertente, Wogwood in vulgus utilem edidit elucubrationem, in qua photographiam definiebat: Modum obtinendi imagines super nitratum argenti per actionem lucis. Atque ex illo ad nostrum usque tempus, scientia et ars photographica modo plane miro in dies progressa est, ut nihil paene in terra, in mari, in caelo existat, quod hujus scientiae virtuti obsistere possit.

In adjuncta tabula picta quaedam notiora instrumenta artis hujus hispanice et latine distinguuntur; atque alia de re vocabula in tironum commodum subjungere juvat.



1	<i>Chasis</i>	pagmentum, i
2	<i>Carrete</i>	rotula, ae
3	<i>Probeta</i>	probatorium, i (vas)
4	<i>Prensa</i>	prelum, i
5	<i>Revelador</i>	revelatorium, i
6	<i>Máquina fotográfica</i>	machina photographica, ae

<i>Ampliadora</i> , amplificatoria, ae (machina)	<i>Lupa</i> , perspicillum, i
<i>Cámara</i> , camera, ae	<i>Objetivo</i> , objektivum, i
<i>Clisé</i> , braeeta, ae	<i>Obturador</i> , obturaculum, i
<i>Cubeta</i> , doliolum, i	<i>Pera</i> , pirula, ae
<i>Diafragma</i> , diaphragma, atis	<i>Rieles</i> , orbitellae, arum
<i>Disparador</i> , dimissorium, i	<i>Tapa</i> , opertorium, i
<i>Filtro</i> , transfusorium, i (vas)	<i>Telémetro</i> , telemetrum, i
<i>Fotómetro</i> , photometrum, i	<i>Teleobjetivo</i> , teleobjektivum, i
<i>Fuelle</i> , follis, is	<i>Tornillo</i> , cochleola, ae
<i>Lente cóncava</i> , lens concava	<i>Trípode</i> , tripus, odis
<i>Lente convexa</i> , lens convexa	<i>Visor</i> , visorium, i

2. Haecenus de rebus novis; nunc vero et quaedam de veteribus. *Picturâ* tanquam poësis tacens est: poësis pictura loquens. Hujus modi quidem officia duo: primo delineare, tum ornare arte umbrae atque coloris. Itaque pictor in primis describit rudibus ductibus quamvis effigiem graphio: diciturque graphis seu delineatio. Atque ars ipsa *graphice* seu *diagraphice* vocatur.

Vox igitur pictura proprie ars est pingendi. Sic se habet Tullius: «Una est ars ratioque picturae, dissimillimique tamen inter se Zeuxis, Aglaophon, Apelles» (*Orat.* 3, 7, 26). Translato vero sensu, vox pictura significat fucum vel pigmentum, quo mulieres faciem illinunt. Ita Plautus: «Scita es tu quidem: nova pictura interpolare vis opus lepidissimum?» (*Most.* 1, 3, 104).

Metonymice autem accipitur pictura pro tabula, vel tela, vel alia re picta. Haec Tulliana verba memento: «Nego ullam picturam neque in tabula, neque textilem fuisse, quin conquisierit, inspexerit, quod placitum sit, abstulerit» (*Verr.* 6, 1, 1).

Tandem vox pictura dicitur de imagine, quae verbis exprimitur. Sic ipse Cicero: «Velut iste chorus virtutum in aculeum impositus imagines constituit ante oculos cum amplissima dignitate, ut ad eas cursim perrectura nec eas beata vita a se desertas passura videatur; cum autem animum ab ista pictura imaginibusque virtutum ad rem veritatemque traduxeris...» (*Tusc.* 5, 5, 13).

3. Haec Latina vox pictura respondet voci Graecae *graphê*. Est igitur delineatio graphii ductibus vel coloribus. De qua sequentia numerantur apud pristinos scriptores genera:

*Pictura in tabula* (Cic. *Verr.* 2, 4, 1). Est nempe pictura super quoddam lignum vel tabulam; generatim vero super abacum larignum et multotiens porta utris-

que in lateribus praedita, ad rem pictam claudendam eamque a pulvere et immunditie arcendam.

*Pictura in linteo vel in sipario* (PLIN. H. N. 35, 33). Est picturae ratio super telam. Probabili quidem modo materia haec in usu venit serius quam lignum in arte pingendi.

*Pictura inusta* (PLIN. H. N. 35, 39). Est pictura in cera varii coloris, igni vero exsiccata. Una est ex rationibus usitatis in pictura ad encaustum.

*Pictura udo tectorio* (VITRUV. 7, 3, 6). Pictura est quae apud Hispanos dicitur *al fresco*. Efficitur super murum caemento subtilissimo coopertum, facto ex pulvere marmoris et calcis, atque depicta cum adhuc caementum esset humidum.

*Pictura textilis* (CIC. Verr. 2, 4, 1). Apud nostrates dicitur *bordado*. Inventio autem haec acu pingendi valde antiqua, in qua celebres fuerant homines Phrygiae nativi.

4. *Color* omnis plane artis pingendi tanquam fundamentum. Color est qualitas, quae ad visum spectat; et dicitur etiam de materia quae colorem inducit. Technica hodierna colorum admodum varia est. Apud Romanos sequentes plus minus colores in usu fuerunt: Albus, candidus, albidus, canus, niger, ater, rutilus, coccineus, minius, roseus, rufus, rubicundus, caeruleus, caeruleus, violaceus, ianthinus, fuscus, flavus, cocceus, flammeus, fulvus, viridis, smaragdinus, prasinus, glaucus, galbus, rarus, pullus, cinereus, gilvus, murinus, caesius.

Atque appendicis gratia, en tibi praecipuam, apud Classicos, phraseologiam de voce *colore*, in proprio et in translato sensu:

*Is color thalassicus est*: este color es verdemar

*Flores mille colorum*: flores de mil colores

*Color dicendi*: fisonomía del estilo

*Color tragicus*: estilo trágico

*Color verus*: color natural

*Color niveus*: color blanco como la nieve

*Viri percocto colore*: hombres de tez muy tostada

*Coloris bonitas*: bondad de la tez

*Dic aliquem colorem*: busca cualquier pretexto

*Excogitare colorem aliquem*: pensar una excusa cualquiera

*Color vitae*: la condición de vida

*Nullius coloris homo*: hombre del todo desconocido

*Colorem bibere*: impregnarse de un color

*Sparsit coloribus alas*: pintó sus alas con variedad de matices

*Color verecundus*: el sonrosado del pudor

*Ne colorem quidem ducere*: no tomar siquiera una tintura (de filosofía)

*Servare operum colores*: dar a cada género su colorido

*Non unus color prooemii, narrationis*: no han de tener el mismo matiz, el exordio y la narración

*Omnis Aristippum decuit color*: Aristipo se acomodaba a todas las situaciones

*Ducendus est color*: es preciso dar color (al estilo)

*Color excidit*: palideció

*Nimum ne crede colori*: no te fies de bellas apariencias

*Abiit corpusque colorque*: han desaparecido mis gracias y la frescura de mis mejillas

*Nullus argento color est avaris abdito terris*: ningún valor tiene el dinero para el avaro que lo entierra

*Amisimus etiam colorem pristinae civitatis*: hasta la forma de nuestro antiguo gobierno hemos perdido.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

# Per Orbem

CERTAMEN VATICANUM. — *Consilium Commentario*, qui Latinitas inscribitur, moderando Certamen Vaticanum. Summo Pontifice probante, proponit.

Certamen in duos ordines dividitur, quorum alter docentium ac lingua Latinae peritorum proprius est, alter vero adulescentes altiorum scholarum alumnos complectitur.

Prioris ordinis petitoribus facultas datur opus vel soluta oratione vel numeris adstricta condendi.

His qui prosa oratione rem amplificent, argumenta proponuntur:

*Nullum monumentum pater clarius relinquere potest quam effigiem morum suorum, virtutis, constantiae, pietatis, ingenii: filium (Cf. Cic., Phil., IX) De Alexandri Fleming salutaribus inventis. Quo adulescentes linguam Latinam in scholis libentius et utilius condiscant, quid agendum? Totius Americae regionum et urbium nomina ad linguae Latinae formam, ex philologorum praeceptis, accommodata De restitutis nostra aetate olympiis.*

Qui vero carmine certare velint unam ex his elegant materiam:

*Quis caelum possit nisi caeli munere nosse? (MANIL., Astron., II, 115). De iis, qui mortem oppetivere scientiarum provehendarum studio. Per bellum filius coram matre trucidatur. Qui victus quaerendi causa ad exteris gentes commigrant. Aërii vehiculi ope ad lunam ascensus.*

Adulescentes vero haec tractare poterunt:

*De latinitate Th. Vallaurii. Cum privatae bibliothecae libris colloquium. Amicorum colloquium de praecipuis aetatis nostrae inventis. De viris, qui axem meridianum et septentrionalem audacter alligere. Describitur hortus animalibus spectandis.*

Res, operis doctrina, Latina elocutio

— uti par est — a iudicibus aestimabuntur.

Quisque petitor quinque sui operis exemplaria hac inscriptione: *Direzione Latinitas - Città del Vaticano*, mittenda curabit.

Scriptorum exemplaria pridie calendis aprilis anni millesimi nongentesimi quinquagesimi quarti nec ultra mittantur.

Exitus certaminis, Romae sollemni caerimonia renuntiabitur, atque in «Latinitate» commentario pervulgabitur.

Cuique petitorum ordini duo praemia assignantur, quorum alterum erit nummus aureus et centum milia libellarum, alterum vero nummus argenteus et quinquaginta milia libellarum.

Unicuique petitori, qui victor discesserit, diploma quoque dabitur, quod ejus nomen cognomenque atque titulum operis praemio ornatū exhibebit.

INSTITUTUM SANCTAE CLARAE NEAPOLI CREATUR. — *Acta Ordinis Fratrum Minorum* (m. maio - junio, a 1953, pp 136) Institutum Scientiarum ac Litterarum, cujus sedes est Neapoli in Monasterio Sanctae Clarae, conditum enarrant. Quod quidem factum maxima est commendatione dignum cum de primo agatur Instituto superiorum disciplinarum Litteris Scientiisque edocendis ab Ecclesia ad clericos instituendos creatum. Sanctae Clarae Institutum, postquam undeviginti annos private disciplinas tradidit, cum a Sancta Sede uti Universitas probatur, his constat Facultatibus: a) Litterarum, in qua et classicae et hodiernae litterae traduntur, b) ac Scientiarum Naturalium.

Novo Superiori Instituto fausta et felicitia in perpetuum in aevum ominamur.

CENSORINUS

# Cursus gymnasticus

CATO. — Rem haud sane (1) difficilem, Scipio et Laeli (2), admirari (3) videmini (4). Quibus (5) enim nihil (6) est in ipsis opis (7) ad bene beateque vivendum, eis omnis aetas gravis est; qui autem omnia bona a se ipsis petunt, iis nihil potest malum videri quod naturae necessitas afferat (8). Quo in genere (9) est in primis senectus; quam ut adipiscantur omnes optant (10), eandem accusant adepti (11); tanta (12) est stultitiae inconstantia atque perversitas. Obrepere ajunt (13) eam citius, quam putassent (14). Primum (15) quis coëgit eos falsum putare?, qui (16) enim citius adulescentiae (17) senectus quam pueritiae adulescentia obiepit? (Cic., *De senectute*, 2, 4).

## ADNOTATIONES

1) *Haud sane*: «no ciertamente». *Haud parum* a negativa *non* differt; sed cum adjectivis et adverbis fere tantum adhibetur: *Haud obscurum* (Cic., *De Har. resp.*, 25, 55); *Haud facile* (Cic., *Off.*, 3, 30, 110); raro cum verbis nisi in locutionibus *Haud scio* (Cic., *P. Mil.*, 25, 68); *Haud dubito* (Cic., *P. Sest.*, 56, 126). (Cfr. RIEMANN, *Syntaxe Latine*, § 266, c).

2) *Scipio et Laeli*: vocativus initio fere numquam praepontur nisi in vehementi exclamatione aut a poetis, qui et interjectionem o praemittere solent: «O Meliboe, deus nobis haec otia fecit» (VERG., *Buc.*, 1, 6); sed post aliqua verba collocatur: «Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra?» (Cic., *Cat.*, 1, 1, 1); aliquando tamen postremum locum occupat: «Utrum difficilius aut majus esset negare tibi saepius idem roganti, an efficere id quod rogabas, diu multumque, Brute, dubitavi» (Cic., *Orat.*, 1, 1). (Cfr. GRANERO, *Stilistica Latina*, 94, d).

3) *Admirari*: verbum transitivum est atque cum accusativo casu fere semper adhibetur (*admirari rem*); genitivum usurpare poetarum atque scriptorum posteriorum est a Graecis mutuatum: «*Justitiaene prius mires belline laborum*» (VERG., *Aen.*, 11, 126) (Cfr. LLOBERA, *Gramm. Lat.*, 213, 2.º et 255, II)

4) *Videmini*: cum verbo *videor* (sensu opinativo) infinitivus cum subjecto expresso vel tacito in nominativo adhibetur, quia idem subjectum in utraque oratione est ideoque *constructio personalis* vocatur (*Vos videmini ad-*

*mirari*, «me parece que vosotros os admiráis»). (Cfr. J. MIR, *PALAESTRA LATINA*, n. 87, p. 90).

5) *Quibus*: verbum *esse* cum dativo pro *habere* usurpatur; ita: *quibus nihil est in ipsis* idem est ac *qui nihil habent in ipsis* (Cfr. RIEMANN, § 46, b), LLOBERA, 265).

6) *Nihil*: defectivum verbum quod in nominativo et accusativo tantum adhibetur. Ceteri casus cum substantivo *res* et adjectivo *nullus* supplentur. Ita: *Gen.*: nullius rei; *Dat.*: nulli rei; *Ablat.*: nulla re.

7) *Opis*: etiam defectivum est nam singulari nominativo et dativo caret. In numero singulari *auxilium* significat; in plurali vero *divitias* (Cfr. LLOBERA, 83, VI). Omnis haec oratio ita ordinare oportet: «Omnis enim aetas est gravis eis quibus nihil opis est in ipsis ad bene beateque vivendum».

8) *Afferat*: subjunctivo modo effertur, quia oratio rem exprimit possibilem (*nihil quod afferat*, «nada de cuanto lleve»). (Cfr. LLOBERA, 339, 4.º).

9) *Quo in genere*: ut nos referamus ad ea quae antea diximus, verbum *genus* saepe adhibemus, sed praecipue locutiones *quo in genere*, *in hoc genere*, ut videri potest in I *De Or.*, 1, 13, 58; 1, 21, 97, cet. (Cfr. GANDINO, *Temas estilísticos*, III, 3.ª ser., XIX, 6, 9).

10) *Optant*: verba optandi fere subjunctivum adjecta particula *ut* exigunt, raro infinitivum admittunt (*Optant ut adipiscantur*): «*Optavit* (Phaëthon) *ut* in currum patris *tolleretur* (Cic., *Off.*, 3, 25); *Volo* te hoc *scire* (Cic., *Att.*, 1, 18, 6) (Cfr. RIEMANN, § 180 a, 1.º; § 185, 1.º)

11) *Adepti*: participia saepe orationem temporalem supplent (*adepti* = postquam adepti sunt): «Dionysius quidem Tyrannus Syracusis expulsus (postquam expulsus est) Corinthi pueros docebat» (Cic., *Tusc.*, 3, 12) (Cfr. RIEMANN, § 261). Nota praeterea chiasmum:

Adipiscantur . . . optant  
Accusant . . . adepti

quod ita dictum est vocabulum ex dispositione verborum quae litteram Graecam  $\chi$  effingere videntur.

12) *Tanta*: forma sententiarum quam rhetorici epiphonema vocant quaeque in exclamatione ex supra dictis deducta consistit.

13) *Ait*: cum verba alterius forma obliqua proferimus, *ait* usurpamus: «Aristoteles *ait* omnes ingeniosos melancholicos esse» (Cic., *Tusc.*, 1, 33, 80); forma vero recta *inquit* adhibemus: «Etiam fere, *inquit* Pacuvius, injecto terrore mortis horrescent» (Cic., *De Fin.*, 5, 11, 31); sed tamen semper, etiam forma directa, ut *ait* interponimus: «Animus aeger, ut *ait* Ennius, semper errat» (Cic., *Tusc.*, 3, 3, 5) (Cfr. GANDINO, I, 3.<sup>a</sup> ser., VI, 3).

14) *Putassent*: Subiunctivo, quia a con-

junctione (*potius quam*) ex infinitivo pendente (*obrepere*) regitur («Sapientis... non dubitat si ita melius sit, migrare de vita». Cic., *De Fin.*, 1, 19), atque quid senes, non ipse scriptor, de senectute sentiant, exprimit («Zeno appellat beatam vitam eam solam quae cum virtute degatur»... Cic., *De Fin.*, 4, 12); secus, *obripuit ea citius quam putabant*, dixisset (Cfr. LLOBERA, 318, 319).

15) *Primum*: *Primum* et *primo* in hoc differunt, quod *primum* ordinem rerum significat, *primo* ordinem in tempore. In enumerandis verbis semper *primum* adhibetur: «Oratorem celeriter complexi sumus; nec eum *primo* eruditum..., post autem eruditum» (Cic., *Tusc.*, 1, 3, 5); «Equidem ut honore dignus essem *primum* maxime semper laboravi» (Cic., *P. Planc.*, 20, 50) (Cfr. GRANERO, n.º 67).

16) *Qui*: ablativus pronominis interrogativi *quis*, usurpatur ut adverbium (*cómo, acaso*) (Cfr. LLOBERA, 105).

17) *Adulescentia*: Hic etiam juventutem comprehendit. Proprie *adulescentia* a decimo septimo ad trigésimum annum protenditur; *juventus* vero a trigésimo ad sexagesimum.

JESUS ASPA, C. M. F.

## APIS

Appetis flores, apis, eminentes,  
Quos odor prodit faciesque picta.  
Jam natas tuto foliis sitisque  
Provida succum.

Rostra denudans tenera vagina  
Ingeris fundo calicis nitentis,  
Limpidum nectar bibis ore pleno  
Rostraque condis.

Ecce hirsutis pedibus rotundam  
Pulveris molem bene figisambo.  
Jamque nutanti refugis volatu  
Ebria praedae.

Cellulas praedis onerasque rite.  
Nectaris guttam cita vertis ante

In mel optatum labio bibenti  
Arte stupenda.

Melle vix cellas liquido replesti,  
Cum petis flores alios, liquorem  
Nectaris grati bibitura, nostrae  
Dedita curae.

Hinc patet doctum specimen regentis  
Patris infantes. Apis ecce jussa  
Patris exercens parat alma nobis  
Inscia mella.

P. MANGEOT, S. J.

Saarlouis, Canisianum.

# Iterum de pediludio

Cum a Patre Sansegundo praeventus sim, jam satis habeo ad minicula aliquot ad sermonem de re instituendum dare. Quapropter etiam longe praefari supersedeo et ilico in medias res rapere libet lectores.

Inter pilares lusiones, quae nostra aetate ubique gentium in deliciis sunt, primum locum obtinet pediludium. Jam in Italia, cum litterae atque artes renascebantur, Florentiae colebatur. Nunc temporis pediludium is est ludus, quo complures maxime afficiuntur.

Certamen est de principatu aut primiceriatu. Manipulus nationalis, penes quem adhuc fuit principatus, contra adversarium ludit timendum.

Omnis manipulus constat ex portario, duobus defensoribus, tribus cursoribus, quinque assultoribus. Assultorum agmen habet assultorem medium, hinc inde assultorem dextrum ac sinistrum et assultorem dextrimum ac sinistimum.

Defensoribus demandatum est negotium portarium ab hostium impetu defendendi.

Cursores follem excipiunt atque ad assultorum aciem remittunt.

Arbiter sese praestitit severum. Nam lusorem quendam e campo expulit. Duos praeterea ictus ob lusionem seorsam declaravit irritos.

Linearum quoque custodes lynceos habent oculos.

Russati campum medium, qui ipsis ex sortitione obvenit, vehementes reddendo ictus liberaverunt. Jam omnis parat manipulus incursionem. Petunt vel ipsi defensores campi medietatem. Vae, si adversariae factioni in hoc rerum discrimine contingeret, ut perrumperet aciem. Alae velocissime praecurrunt. Summa vi petitur adversaria porta.

Vidistine? Follis palo mirum re percussus est. Russati melius folliculo uti sciunt terram radente, scitius folle dominantur, in summa majorem ostendunt ludendi artem.

Etiam albatii varium atque splendidum exhibent ludum, at sobrium efficacemque. Supersedent artificibus. Id agunt, ut puncta evincant, non ut artis edant spectaculum. Sed interdum fit, ut ludii, ardore certaminis abrepti, quamvis inviti, inhonesta quaedam admittant.

Defensor iste umerum impegit adversariae factionis cursori dextro.

Eccum istum! Quam insidiosas facit supplantationes ludio iste!

Cursor iste nimium trepidationes usurpat. — Quid hoc sibi vult? — Trepidationes usurpare is dicitur, qui per satis magnum spatium modicis calcis ictibus prorsus agitare follem et hac ratione adversarium circumvenire gestit. — Rem teneo. — Portarius declinationes quasdam projectu corporis aut cernuationes exsecutus est. Eximia praestat atque certa facultate follem captandi,

sed contra hostes tanta vi agredientibus nihil efficere potuit. In porta prolapsus est follem manibus tenens.

Russati ad decem deminuti rem defendendo gerunt, offensionem offensione propulsant. Pro sua densantur porta, ut ultimis certaminis momentis sustineant et auctarium unius conservent puncti.

Adversarii quidem cum ardore ingruunt, ut punctum, quod concertationis exaequationi deest, adipiscantur. Tamen ludus manet honestus et probus.

Follis seorsum avolavit. Russatis obtingit remissio. Arbiter sibilat. Injunctis albatis liberum, uti ajunt, ictum. Videt, ut ab omnibus leges pediludii observentur.

Eccum errorem manus! Ictus habebitur poenalis an liber? Jam habemus ictum angularem. Quae implicatio ante portam! Follis in sublime emissus seorsum evolavit ineptus.

Ecca porta! Follis a portario pugno re percussus, a quodam adversario capite eximie in rete rejectus est.

Manipulus A primum locum tenet quinque portis comparatis ad zero, V punctis comparatis ad nullum (*el equipo A gana por 5 goles a cero*). — Discesserunt aequato certamine. Certamen finitum est collatione facta, ut sunt tria ad unum.

Spectatores in campum ovantes et victoriam acclamantes prorumpunt, ut favoratos ludios umeris allevatos per triumphum deportent.

Luduntne ludii affectiosi an apud vos sunt manipuli lusorum professionalium?

Sodalitium, quod professionales auguraret pedilusores, primario a consilio confoederationis pediludii improbaretur. Generalibus pediludii legibus id vetitum est.

Lebachii.

JOSEPHUS HOLZER, *Gymnastii Rector*

## Commercium epistulare

*Josephus Josepho sal.*

Tuo epistolio silentium, quod inter nos intercesserat, ruptum est. At noli putare me tui esse oblitum aut PALAESTRAE, immo schedae meae, in quas conjeceram, quae de re athletica commentus sum, me fere cotidie de te, dulcissime amice, admonebant. Sed rem diligentius conficere non valui. Nam inde a mense martio me pessime habui. Cruciabat me oculorum valetudo. Agrypnia porro atque nervorum languor me incesserat. Neque post aestivas ferias res coepit melius ire. Praeterea cogita me non solum gymnastii rectorem esse Latinitatis amantissimum, sed etiam patrem familias, quem nefas esset res neglegere domesticas. Interdum vel musca in pariete commeans mihi mo-

vebat stomachum. Sic factum est, ut omnem rem subcesivam, quamvis carissimam, ommitterem. Sed promitto me anno novo ineunte aliquid in PALAESTRAM esse daturum. At satis superque de rebus meis. Ignosce, ignosce meae garulitati!

Sat flebilem de patris tui obitu attulisti nuntium. Equidem dolorem ex luctu tuo percipio atque tibi significare cupio. Neque tamen mihi, pro! tuos dolores solaciis levandi data est facultas. Verba deficiunt. In qua aerumnosa rerum condicione haec una occurrit consolatio quod Dominus Jesus sua anastasi pignus dedit certissimum, quo omnes mortalitatis vectigales resuscitatum iri speramus ad vitam meliorem et lautissimam beatitudinem. Propterea tecum, suavissime amice, fundo ad Deum O. M. preces, ut manibus dilectissimi patris mox requiem det atque luce aeternam...

Cura ut valeas et me ama!

Lebachii, XIV Kal. Dec.

*Josepho suo Josephus M.<sup>a</sup> sal. pl.*

Et est profecto cur incuriam defleam meam; Josepho amico amicitiae officio defui. Dulcissimae primum mihi traditae sunt litterae tuae XIV kal. dec. datae quibus et infirmam valetudinem tuam tot mensibus protractam intellexi, et maximo me affecisti solacio tuis suavissimis verbis ob patris obitum, et gratissima me chartula donasti luce expressa, qua totam cognoscerem familiam tuam.

Video te ac miror virum rectum probumque, qui primas tribuit officio paterno, domestico, scholari, rebusque subcesivis tempus impendit residuum; laudo ac probo, Deumque precor ut te ab illa liberet oculorum aegra valetudine, res tuas fortunet omnesque tuos beatos reddat.

Consolatio, quam animo meo instillasti, gratissima fuit cum ab amico obveniret et a viro christianis cogitationibus plene imbuto. —Superna, quibus abundas sensa, augeantur, perficiantur, a Deo fortunentur.

Deinde, cum nondum ad te dedissem litteras, tu me lectoresque PALAESTRAE scripto tuo «*Iterum de pediludio*» donasti, atque bellissima chartula, parcens quidem verbis, sed intima animi sensa exprimens, «*mihi Molinaeque socio felicia Natalicia Dominica et novum annum faustum optasti*», et illa voce *παινεσις*, suavitate perfusa, breviusculo epistolio finem dedisti. —Quid vero ego? Id unum —me pauperculum!—, donaria, quae sunt Domino a Magis oblata, in te domumque tuam amplissime Dominus conferat, ac non his tantum rebus, quas oculis corporis intuemur, te fortunatum felicemque reddat, sed et pace sua, gratia, gaudio caelestique amore penitus te cumulet.

Sic vos vobis eritis beati... Bene valete nosque diligite.

Barbastro, quo die Magi gaudentes advenerunt Bethlehem et pueruli donariis ac ludicris nobiscum exsultant; anno 1954.



Supererant Albio undecim libellae, quibus apparanda exornandaque erat mercium taberna. Itaque vix Publio dimisso, emendae erant lagoenae, theae cucumulae 1), vitrea testa, sacchararia 2), pocilla, juris capedines 3), fictilia vasa 4), idque genus alia.

Omnia in canistro sine operimento congerit, fictilia infra, supra vero vasa vitrea apponens. Inde solo canistrum locat, quo facto, in sedili assidet, manibus in braccarum sinu 5) ingestis, ac muro innixus clientes praestolatur. Ita sedens et hunc corporis situm servans, defixis in canistro oculis, commenticia multa somniare et texere inania coepit: hominis enim nihil agentis mens saepe numero non corporis excipit socordiam.

At rima in intergerivo 6) erat, per quam observans, curiositate pulsus, vicinus a contigua janua, sensim sine sensu ad parietem usque accedens, intentas praebat aures ad ea quae elata voce Albius commentabatur, qui nihil sollicitus se ab alio notari et auscultari, secum ita loquebatur: «Quae in hoc canistro continentur plus undecim libellis constant apud Aemilium magnarium 7) empta. En omnia mea, nihil ultra possideo, nec teruncius 8) quidem mihi reliquus est; at flocci omnia facio. Brevi minutim 9) venum data, duplum redditura fidenter spero. Ita eventurum confido; fieri non potest quin secus accidat. Illa duplicanda quoque sunt, quae vicissim iterum augmentur. Eo in dies geminabuntur quo major sit sors 10). Post aliquod tempus, octoginta libellae faenore ducentas reddent.

Quo pacto si ducentas libellas in lucro deputem, missum faciam testarum fictilium negotium merciumque fiam negotiator 11). Ideo majorem statum et comparabo tabernam ac tonsorem hunc exsecrandum despiciam, quo quidem loquaciorem vidi neminem. Nunquam posthac hunc interpellatorem 12) atque ineptiarum circulatorem sustinebo, sed neque istum perpetuo ringentem et quaestuosum 13) Publium. Duplex utique voluptas!; talem avertere vicinum et erum aceto acriorem refugere. Avarum et susurronem odi pariter et semper arceo. Venum ipse dabo acus, aciculas 14), ad consuendum fila, gossypina 15), vittas, digitabula 16), forcipes 17) chirothecas 18), cet., donec pecuniae eos quaestus percipiam quibus monilium officinam 19) condere fas mihi sit et aurifex fieri. Veno prostabunt adamantes, gemmae, monilia auro argentoque caelata, smaragdi 20), lapilli, uniones 21) quamplurimi.

Quo circa amplissimis mihi que conjunctissimis familiariter utar amicis toto orbe terrarum, in quibus comparandis ea solum arripiam quae magni pretii et novi 22), sint usus.

Cum jam opibus et facultatibus polleam, vitam inibo feliciorum, mag-

\* Cfr. fasc. superiorem.

numque mihi toto regno nomen comparabo. Exterae omnes regiones ab Hibernico 23) ad Mare usque Nostrum 24) quidquid ad vitam victumque pertinent, suppeditabunt. Galli, Hispani, Lusitani vina dabunt; pelles praestabunt Russici. Neque id solum, naves onerariae meae Indicorum thesauros ac vectigalia asportabunt.

Convertit RAIMUNDUS SARMIENTO, C. M. F.

(Ad proximum fasc.)

1. teteras. — 2. azucareras. — 3. salseras. — 4. loza, vajilla. — 5. bolsillo del pantalón. — 6. tabique. — 7. mayorista, vendedor al por mayor. — 8. céntimo. — 9. al por menor. — 10. capital. — 11. mercero. — 12. importuno, fastidioso. — 13. avaro. — 14. alfiler. — 15. algodón. — 16. dedal. — 17. tijeras. — 18. guantes. — 19. joyería. — 20. esmeralda. — 21. perla preciosa de gran tamaño. — 22. de moda. — 23. de Islandia. — 24. Mediterráneo.

## Ad Ciceronis librum "de oratore"

In Ciceronis libro «de oratore» I, 60, 256 verba hoc modo scribenda sunt: «reliqua vero etiamsi adjuvant, historiam dico et prudentiam juris publici et antiquitatis *peritiam* et exemplorum copiam, si quando opus erit, a viro optimo et istis rebus instructissimo, familiari meo Congo mutuabor».

Ubi «antiquitatis *peritiam*» emendando restitui, omnes ibi codices «antiquitatis iter» exhibent, quod «iter» captui repugnat.

Cicero ipse quidem nomen «antiquitatis» semper cum adjectivo «peritus» conjungit, cujus usus exempla occurrunt in libro qui «*Brutus*» inscribitur 21, 81 «antiquitatis bene peritus»; 56, 205 «antiquitatisque nostrae... peritus»; 77, 267 «publici juris antiquitatisque peritus».

Praeterea conferantur Quintilianus X 1, 95 «peritissimus... omnis antiquitatis», denique Gellius V 12, 13 «Vergilium... multae antiquitatis... peritum».

Quoniam in illo loco «de oratore» ista forma mutilata «iter» ad idem fere verbum eundi atque adjectivum «peritus» pertinet, nihil melius ad locum Ciceronis sanandum substantivo «peritia» inveniri potest; nam «peritia» oppido convenit ad antecedens vocabulum «prudentiam», quae est recta ratio agibilium juris publici, et «peritia» tamquam habitus multis studiis acquisitus ampla profundaque scientia putatur; propter illud verbum quoque «mutuabor» hoc substantivum «peritia», non aliud ponendum erat, quia hoc loco «de oratore» non de una tantum unius rei notitia agebatur, verum de multis rebus, id est de peritia antiquitatis, quae est tanta rerum antiquarum multitudo.

Ergo vera scriptura Ciceronis loci «de oratore» I, 60, 256 sic habenda videtur: «antiquitatis *peritiam*».

EMIL ORTH

# Bibliographia

LOUIS MOULINIER — *Le pur et l'impur dans la pensée des grecs d'Homère à Aristote.* — Librairie C Klincksieck, Paris, 1952 — 450 pag

Legenti veteres scriptores Graecos subinde verba apparent satis intellectu obscura, quibus aliquid *purum* (καθαρόν, ἀκέραιον, ἀκήρατον, ἀκραινές, ὄσιον, ἀγνόν) aut *impurum* (ἐναγές, μιαιρόν, ἀκαθαρτον, κτλ.) vocatur. Alias, de personis aut de rebus aut de actionibus μιαίνειν, μιαιφονεῖν, χραινεῖν praedicatur; alias, rem μίασμα, ἄγρος, κηλίς, ἀκαθαρσία, μιαιφονία, μύσος, λῦμα esse, quae ope cujusdam purificationis (κάθαρσις, καθαρμός) pristinae restituatur puritati

Dr Aloisius Moulinier, in Lyceo Aixensi, in Gallia, humanarum Litterarum magister, Graecae linguae admodum peritus, non parvum edidit commentarium satisque doctum, quo Graecorum sententiam in re ab Homero ad Aristotelem persequitur.

Caput de Originibus praemittitur, in quo res adumbratur sequentibus capitibus evolventa. Et in primis, quid populorum affinitas valeat, quid verborum etymologia, quid sepulcrorum atque monumentorum archaeologia, quid architectura ad notionem *puri* atque *impuri* apud Graecos statuendam. Quae quidem res difficultate non caret. Postea in Homeri poemata incumbit, in quibus pluries de rebus agitur quae heroas, flumina, templa impura aut sanctificata reddunt. Sed haec Homeri longe aberrant ab his quae classicorum scriptorum aetate nomine tam καθάρσις quam μίασματος intellegi videntur. Hesiodus quoque alique scriptores prisca memorantur, eorumque sententiae peracute examini subjiciuntur.

De Ritibus caput addit secundum, in quo de purificationibus sive personarum sive publicarum rerum aut locorum est sermo, ac de his quae superstitionem sapiunt aliqua notantur.

Quid postea sit puritas aut impuritas tum materiae tum intellectus seu rationis in persona humana, in civitate, in familia Sensus verborum καθαρός, καθάρειν, κάθαρσις optima ratione, i. e. in verborum contextu, stabilitur. Omnia haec passim sub respectu deorum in capite IV considerantur; opus denique amplissimo capite clauditur, quo doctrina tam Socratica quam Aristotelica, praesertim vero Platonica exponitur ab auctore. Pulcherrimum sane caput in opere. Pulcherrimae quoque conclusiones quas ad calcem uniuscujusque capituli apponit auctor, quibus sententiam suam maxime atque scriptorum aperit.

Opus est doctis viris curiosum, ne dicamus utile. Sunt enim quaedam difficilia et profanis impervia, quae illis tantum, qui Graecorum scriptorum studio ac lectioni assueverunt, superare licet

MICHAEL RAMOS, C. M. F.

M BIZOS. — *Syntaxe Grecque*, 2 éd., p. 271. Librairie Vuibert, Paris, 1949.

Opus legentibus nuntiamus, quod, cum usu et exercitatione rem tradat, maximae erit utilitati illis qui in litteras Graecas incumbunt. Nam in duas columnas textus dividitur, quarum prima breviter atque perspicue grammaticae regulam cum exceptionibus proponit; altera vero scriptorum classicorum exempla quibus lex illa declaratur ac perficitur.

Hac vero simplici ratione — quae multum differt ab ea qua apud alios scriptores leges grammaticae proponuntur — omnia syntaxis Graecae capita — ab articulo ad propositiones omnis generis, ad praepositiones, particulas, loquendi peculiare rationes, figuras, additis ubique scriptorum exemplis — sollerter explicantur.

Gallico, Graeco rerumque indice totum completur opus. Index tamen seu

titulus rem, quae in libro continetur, fortasse excedit; nam ut ipse operis scriptor in prologo legentibus significat, est vere «totius orationis Atticae syntaxis», quae praeter regulas communes, illas quoque exponit quae praecipuam secum ferunt difficultatem his qui Thucydidem, Platonem, Demosthenem aliosque scriptores Atticos legunt, quorum exempla et opera fideliter ab auctore afferuntur.

Liber optime est editus; idque et nos arbitramur hujus operis scriptorem superioribus alumnis qui in Universitatibus grammaticae Graecae operam dant, syntaxim bene elaboratam et utilem tradidisse.

JACOBUS M. SIDERA, C. M. F.

TEODORO HENRIQUE MAURER. — *A Morfologia e a Sintaxe do Genitivo Latino*, (Estudio Histórico). Sao Paulo, Brasil. Indústria Gráfica Cruzeiro do Sul.

Haec est thesis ad gradum Doctoratus obtinendum, quam tenaci studio et exitu magno elucubravit clarus vir T. Henrique Maurer. Praeunt breves introductionis lineae, quibus scriptoris adjuncta nobis de re fiunt nota. In duas partes opus dividitur: In altera morphologia, in altera syntaxis de genitivo Latino exponitur. Primum enodatur a laureando morphologia substantivorum, adjectivorum, pronominum (pag. 11-40). Deinde vero quidquid ad syntaxim de genitivo spectat, dividitur hac ratione: Genetivum adverbale, partitivum, adnominalis (pag. 61-88). His autem praeeunt notiones quaedam generales de syntaxi (pag. 41-60); et consequitur breve compendium, sed tamen opportunum, de hellenismis in syntaxi de genitivo Latino (pag. 89-90). Bibliographia est ampla, eaque selecta. Paucis, hoc opus commoda amplitudine studet omnibus quaestionibus, quae aliquo modo ad genetivum Latinum referuntur; atque illud valde utile ad usum alumnorum linguae Latinae aestimamus.

FRANCESCO DELLA CORTE. — *De Sarsina a Roma - Ricerche Plautine*. Publica-

zione dell'Istituto Universitario di Magistero Genova, 1952.

En tibi novum opus, idque maxime accuratum et utile, de Plauto de ejusque re litteraria ad nos usque transmissa. In tres partes dividitur: *L'uomo* (pp. 15-79), *I copioni Greci* (pp. 101-171), *Le venti commedie* (pp. 209-293).

Prima, potius quam biographia, quasi «reconstructio» est temporis atque historiae, in quo vitam degit Plautus. Hujus modi vero rei clarus scriptor jam propriam ostendit atque probavit opinionem. In studio superiore de *Catone Censore* (Torino, Rosenberg, 1949).

In secunda libri parte, nova commo datur opera non solum cognitioni Menandri, Diphili, Philemonis, verum etiam minorum comicorum Graecorum, de quibus non nulla documenta exploratius deteguntur ab scriptore.

Denique in tertia parte, quae quidem praecipua est, accurata exstat prolusio de rebus comicis Plautinianis, juxta quemdam spiritalem progressum dispositis, ubi clarus scriptor prae oculis habet progressum artis technicae dramaticae.

Indice nominum et locorum (pp. 329-340) totum finitur opus Plautinianum, quod multum, ni fallor, inserviet ad interpretandas fabulas adhuc cognitae, inter multas quas Plautus conscripserat. Ideo utilem habemus librum Latinitatis praecipue archaicae cultoribus.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

F. CAHOUR — *Correct English, abrégé synoptique de Grammaire Anglaise, corrigé des exemples*. Les Éditions de l'École 11, Paris.

Hoc codicillo, qui quinquaginta octo pagellis constat, Dnus. F. Cahour, clavem exercitorum exemplorumque Grammaticae Anglicae praebet. Codicillum, quamvis sit perbrevis, magni momenti utilitatisque ducimus cum magistris in corrigendis compositionibus tum alumnis quibus forsitan sine ulla magistri ope Anglico sermoni sit vacandum.

M. MOLINA, C. M. F.

Typographia — F. Camps Calmet. — Teleph. 54. — Tarregae in Herda Prov.